



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 57. De organo tactus ad tex. com. 163.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Quod enim ait (illorum vnum quodque) et si aërem solum & aquam nominasset; propterea ait, inquit Simplicius, quod hæc, vt ex tex. 68. & 76. manifestum est, trium sensuum media sunt; non quatenus aër aut aqua, sed quatenus communem habent naturam, & sunt diaphana, dijcha, & diosina; hoc est perspicua, persōna, & perodora: Quemadmodum enim hæc elementa, quatenus tres has condiciones habent, quasi facultates colorum, sonorum, & odorum delatrices; aspectus, auditus, & odoratus media euadunt; ita caro & lingua, dum vim habent qualitates tactiles & sapores deportandi medium existunt, non organum, tactus & gustatus. Atque in hoc sensuum omnium analogia seruat. Sed illud est discrimen duplex; quod iam positum est: quorum vtrumque ex eo nascitur, quod aër & aqua sunt media externa & separata; caro & lingua interna & congenita. Quartum discrimen addunt Philoponus & Simplicius aërem & aquam esse media duntaxat; carnem tum medium, tum organum. Quoniam non solum per eam sentit alia interior pars, velut primum & præcipuum organum: verum ipsa quoque sentit, tametsi secundario & tanquam minus præcipuum instrumentum. Quod ipsum fortasse discrimen intelligere possumus ab Aristotele in superiori textu significatum fuisse, cum tactum diceret non moueri a medio, sed simul cum medio: quia scilicet medium congenitum simul cum proprio sentiendi organo tactilia obiecta percipit.

Quinquã duo hæc elementa aër, & aqua, nõ solum medium, sed & quoquo modo organum dicere possumus esse illorum trium sensuum; quippe aspectus organum ex aquis humoribus constat; auris aërem inclausum continet; ac demum odoratus organum vaporem habet ex vtroque mistum. Quare si ita habere se debet caro ad tactum vt aër & aqua se habent ad hos sensus, eam oportet tum mediij, tum organi vim habere & quoniam magis incertum videbatur, an esset medium, propterea hoc maxime probauit Philosophus: non esse inquam organum duntaxat, sicut oculus est organum aspectus; sed etiam medium: neq. solum, vt aër & aqua, sed medium sentiendi patiatur. Quod autem ita est organum, vt non sit medium, alia est interior pars. Themistius tamen carnem contendit esse duntaxat medium, non item sentire. Quoniam Aristoteles aperte dixit, eodem modo sese habere carnem in tactu & gustatu, quo se habent aër & aqua in reliquis sensibus; in quibus sanè ita sunt medium, vt nullo modo, nec primo nec secundo sentiant. Et omnino mediij & organisationes nõ solum diuersæ sunt, sed & quodammodo oppositæ. Siquidem medium est id, quod non operatur, sed per quod operatur aliud: organum autem id, non per quod, sed quo immediatè operatur quidpiam & sentit. Immo vero carnem non esse organum, sed duntaxat medium, non solum explicauit Philosophus cõparatione illius facta cum aëre & aqua, verum etiam confirmauit ratione. Quam Auerroes voluit esse à destructione consequentis ad antecedentis destructionem. Si caro non esset medium, sed organum, vt in alijs sensibus, ita in tactu, simile positum supra sensum non sentiretur: at sentitur, immo non sentitur, nisi supra ipsum ponatur: ergo ipsa non est organum, sed medium. Melius tamen ad secundam figuram reduxit Philoponus. Obiecta sensilia sensuum organis immediatè admoda non faciunt sen-

sum, tactilia, & gustabilia carni & linguæ absque alio corpore interiecto imposita sentiuntur; caro igitur & lingua non organum, sed medium sentiendi sunt, organum autem aliud interius. Rationis huius propositio quo modo intelligenda sit, satis dictum est in Commentarijs ad tex. 73. & 75. & in Digressione ad posteriorem hunc locum: eaque interpretatio ex his verbis rursum confirmatur. Nõ enim alborem, sed corpus album ait positum supra oculum non videri: sicut & in tex. 73. dixerat, id quod habet colorem, & in tex. 75. non odorem aut sonum, sed corpus olens aut sonans. Atque huius rei ratio ex eo loco petenda erit: nõnquẽ satis sit perpetuum & vbique constantem Aristotelis loquendi modum adnotasse.

Ceterum oculi vltimum nemõ cum Themistio id, quod intimum est, hoc est pupillam, dicit. Quo modo enim corpus album immediatè admodum pupillæ? Sed id quod extremum, hoc est corneam tunicam, inter quam & coloratum corpus intercedere aërem aut aquam oportet, si aut illud aut aliud quidpiam videri debeat. Idem de sonante atque olente corpore in auditu & odoratu dicendum est. In tactu autem & gustatu non eadem est exterior mediij necessitas. Nam in ceteris ea est, quia sine lumine nihil videmus: nec corpus sonans aut olens, sed sonum aut odorem ab illis profectos, audimus aut olfacimus. Et ideo aërem aut aquam esse oportet, in quibus lumen, sonus, & odor suscipiatur. At in tactu non ita est: sed vt nomen ipsum significat, tangentis corporis & tacti extremitates debent esse simul hoc enim est tangere in tex. 22. lib. 5. Phyl. hæcque ipsa generalis notio in tactu quoque animato & sentiente necessaria est.

Verum generale alteram sensus conditionem & naturam seruari oportuit, quia antea positum est, sensum omnem esse operationem & passionem quandam perficientem, non lædentem & corruptentem. Ea non seruarietur in tactu, si nullum omnino intercederet medium, quo mitior & suauior fieret corporum contactus. Sed obiectum organo immediatè admodum læderet plurimum, & cum dolore molestiæque summa sentiretur. Propterea cum externum medium esse non posset, prouidit natura medium internum & animali congenitum. Vt inquam vnã exterior pars, que immediatè tangere tur, medium esset, quo interior alia sentiret. Ita nimirum suavis & minimè lædens, sed perficiens, fit tactus, generalisque seruat natura tactus, vt simul sint tangentium extremitates, & sensuum omnium communis conditio, vt per medium fiant, licet alio atque alio modo. Ac demum tactus atque adeo gustatus, qui est quidam tactus, tum sunt immEDIATE, tum per mediũ immediatè cõparatione mediij externi, quo ceteri sensus vtuntur: per mediũ, si absolutè & perse cõsiderentur. Qua si nõ externo & separato interno certe & congenito vtuntur medio. Ita carnem concludit esse tactiui mediũ, hoc est tum tactus tum gustatus, quidam tangendo operatur, tactus quidam est.

DIGRESSIO LVII.  
De Organo tactus.

Quod hoc loco Philosophus definiuit, carnem non esse organum tactus sed medium, organum autem interius quidpiam existere, non sine

causa ab interpretibus eius magnopere disputatur. Non solum enim sensu & experientia non satis confirmatur; sed neque etiam constant videtur hanc auctoris sententiam. In I. lib. de animalium historia cap. 3. patrem eam, in qua tangendi vis continetur, dixit carere nomine; & in quibusdam esse eandem, in alijs proportionem quadam. Et mox in cap. 4. hanc interpretatus esse partem homogeneam, hoc est carnem, aut in ijs, quae carnem non habent, eam, quae carni proportionem responderet: & omnino partem sanguineam, aut in exiguis eam, quae illi analoga est. Eandemque sententiam habuit in secundo lib. de partibus cap. 1. 3. & 5. & confirmavit in lib. 3. de histor. cap. 11. dum cutem omni sensu carere dixit, maxime eam, quae est in capite; quia nulla interposita carnem diceret eam esse, quae in ceteris corporis partibus sentit. Sed in eodem 2. lib. de partibus ca. 8. rem visus est dubiam facere; nunquam caro sit organum, an medium. Sic enim loquitur est. Tactus sensorium pars eiusmodi, hoc est caro est: aut

*Varia Aristotelis sententia.*

*Diapir*

prima, ut pupillae aspectus: aut coniuncta, per quam agitur, perinde quasi pupillae omne perspicuum. At in cap. 10. quemadmodum in hoc 2. lib. de anima a peritis verbis negavit. Tactus, inquit, primum sensorium non caro, non pars eiusmodi aliqua, sed aliquid intimum. Quod in lib. de sensu & sensibili c. 2. & in lib. de Iuvent. & senect. c. 2. iuxta cor esse pronuntiauit.

Atque ita intimum illud tactus organum interpretati sunt Themistius cap. 40. Simplicius in tex. 106. 116. Theodoros Methochita cap. 11. suae expositionis, & Alexander in priore lib. de anima cap. 17. & ultimo; tactilium qualitarum sensationem atque comprehensionem in corde fieri asserentes; carnem vero esse medium, quo ea renuntiantur cordi: sicut aër & aqua aspiciendi, audiendi, & odorandi medium sunt.

*Prima opinio.*

Philoponus vero in com. ad tex. 106. & 107. Aristoteles omnino opinionem fuisse credidit, carnem esse tangendi organum; si non primum, certe secundum. Nam si hic sensus tangendo sentit, ut est in tex. 129. partem illam corporis sentire atque illius organum esse necesse est, quae tangit: tangit autem caro; hocque ubique & in toto corpore. At id, quod est intus, velut primum organum, non tactus modo, sed sensum omnium, animale spiritum intelligi voluit. Quod sensu quoque Psellus in extremo libro de Dæmonibus & cum Theophrasto Priscianus in lib. de an. c. 40. cur autem praeter sentientem carnem aliud sit magis primum organum, ea fuit Prisciani ratio: quemadmodum caro, inquit, vehementius patiens sub sensibili est proximo illi incidente passionis acerbitate actum sentiendi disperdit.

*Secunda.*

Sed nescio, an sapienti vili Philosopho persuadere. Propterea quod si spiritus animam non habet nec vitam, neque pars est animalis, nec sensum habere potest: tantum abest, ut in eo potissimum vigeat tactus. Deinde in 2. lib. de partibus animalium tactus organum tradidit Aristoteles crassum esse, corpulentum, & consistens: spiritus tenuissimus est, & omnium maxime fluidus. Tum vero cuiusque sensus proprium oportet esse organum, ut & propria est actio, propriumque obiectum: spiritus communis quidpiam est sensibus cunctis necessarium. Et quamvis lingua, tum gustatui, tum tactui, famuletur, non est tamen idem utriusque sensus organum, quoniam non convertitur, & gustatus in sola est lingua, tactus in toto corpore. Sed & ratio illa, qua idem interpret probavit carnem esse tangendi or-

*Spiritus tangendi organum esse.*

ganum; quia hic sensus operatur tangendo: tangit pars, quae tangit, illius organum censei debet: quia si ma san è est & ex ipsa tactus notione ducta. Sed si ritus ille interior non est id, quod tactu obiecta tangit: proprium igitur tangendi organum esse non potest. Sed solum quatenus generale quoddam est instrumentum, quo ad omnium sensum & motum exequendum anima utitur.

Eandem ob causam neque cor vilius operatur, nisi vitalis, proprium organum dixerit: manifeste vero tactus, in quo tangendum extrema simul esse oportet. Manifestumque est, partem eam, quae in toto corpore tangitur, sentire, hoc est de obiecto iudicare. Deinde tam cor, tum spiritus calidus sunt, tactusque organum temperatum esse oportet, ut qualitates omnes diiudicet. Praeterea si sentientes cor esse organum voluisset, non dubitasset cap. 10. lib. 2. de partibus, an organum sit generis, ut in ceteris sensibus. Neque in. tex. 11. in tactu firmasset simul moueri medium & organum. Quomodo enim à tactili obiecto & caro ut medium, & cor tantopere distitum velut organum simul moueantur? Aliquo nimirum, imo & multo tempore opus esset. Nunc vero statim atque tanguntur quidpiam, sentimus: nec potest qualitas tactu per medium tam crassum tamque distitum transmitti, statim ad cor aut etiam ad spiritum. Porro cor obiecta tactilia duobus sentiatur modis; aut per alterationem, aut per impulsum aliumque similes motum: per alterationem alteratrices illae qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas; per motum grauitas, & leuitas, aperitas & lenitas, & alia huiusmodi similes: cor neque calefit, neque impellitur, neque vllam prorsus alterationem aut motum ad obiectibus huiusmodi patitur. Sed omnis primo di passio exterioris est illius partis, quae proxime obiectis attingitur. Dolor vero, qui continui affusione sentitur, an non in ea parte sentitur, quae continuum diuiditur? Iam vero hic, quam aliam quibus sensus, ita fit, ut non solum qualitates & differentias tactiles sentiamus; sed etiam quae sentiamus, manu, aut pede, aut alia quamvis, opinari iudicemus. Et interioribus interdum, interdum exterioribus dolent. Neque spiritus, qui corde continetur, ad sentiendum est aptus, quemadmodum is, qui ad exteriorem partem à cerebro per nervos transmissus est. Accedit, quod cum organum sensus communis multo magis visus sit idem quae Aristoteles in corde penere, nullo modo credi potest, idem esse, tum singulorum exteriorum sensuum, tum interioris illius, qui communis est, organum: Atque in organo tactus non solum tactilia obiecta suscipi, sed aspectabilia quoque, & ea, quae ad ceteros sensus pertinent. Sed omnino rationi consentaneum est, interioris sensus interioris esse organum, exteriorum exterioris; illud vnicum, hoc tam multa sunt obiecta, multique sensus. Denique tangendi organum partem homogeneam velut esse Aristoteles, cor eterogeneum est membrum. Cui igitur, ut aliarum omnium facultatum, sic tactus principium & fons erit, proprium tangendi organum, in quo de obiectis iudicetur, non erit, si cum sensu & ratione naturae huius sensus consentaneum, Philosophari velimus: verum in exteriori parte, in qua obiecti motio apparet.

At enim aliquando dixit Aristoteles, gustatus & tactus sensorium esse iuxta cor. Ita sane. Non carnis dicit esse in corde. Non igitur cor, sed aliquid aliud est

**C**

**D**

**E**

est illorum sensuum organum. Propterea vero dixit esse iuxta cor, ut hos duos sensus & reliquis tribus distingueret; quorum organa proprie cerebri, in edificissima scilicet parte, conspiciuntur, oculi, aures, nares. Nam gustatus & tactus in inferiori parte cum vigeant sub cerebro, propinquiores cordi sunt; & ad illud potius, quam ad cerebrum, pertinere videntur. Neque sitū modo, sed & temperatione distinguit. Priores enim sensus temperationis frigida organum habent; & ideo cum frigidissimo cerebro coniuncti sunt. Reliqui duo magis calidi aut certe temperati; qui ad cor magis pertinent caloris fontem & partem omnium calidissimam cerebro oppositam: quasi priorum organa cerebri frigore frigeant, posteriorum cordis calore calefiant. Illorum etiam organa molliora sunt & cerebro ferè permixta substantia consistant: horum solidiore, duriore, ac planè carneo videntur organo. Eiusmodi est cordis substantia; carnea inquam, prædura & solida, & terrea; quale horum sensuum organum. Ad hæc autem duo membra sensus omnes libuit renovare; quod penes illa sentiendi vis resideat. Cor enim virtutis omnis fons est & origo: cerebrum illius quasi vicarium, dum & nervos subministrat, & spiritum temperat. Neque in his contradicimus nobis Alexander, dum eum locum interpretatur. Sed quidpiam addit, in quo illi contradicendum sit. Alteram namque rationem adducit, cur ita sensus fuerint distributi. Quoniam cum à corde ad sensus omnes ducantur nervi; ad aspectum, auditum, & odoratum ita ducuntur, ut prius per cerebrum transeant: ad gustatum autem & tactum immediate. Etenim nullus à corde nascitur nervus, sed à cerebro prodeunt omnes, & inde potius ad cor derivantur: & ut ad reliquos sensus, sic ad linguam ex cerebro nervos dissectiones manifestè ostendunt.

Neque Platonis illud in Timæo quod & Alcinoiū habet in libro de hominis doctrina cap. 19. Tenduntur à lingua venæ ad cordis sedem, saporum nuntie; probari potest. Siue enim venas, siue potius antiquitatis acceptione intellexerit nervos; neutrum in dissectionibus comprobatur. Iam vero sensuum illam distinctionem propter diversam organorum conditionem & temperationem, ipsæmet Aristoteles interpretatus est: tum eo ipso loco, ubi cur horum duorum organum proprie cor posuisset, eam rationem exposuit; quia cor cerebro oppositum est ut membrum omnium calidissimum: tum verò in cap. 10. lib. 2. de partibus. Nam citans eum librum de sensu & sensibili, quæ ibi dixit, his verbis interpretatus est. Principium sensuum esse cordis locum, definitum iam est, cum de sensu ageremus: & quam ob causam duo, id est, tangendi & gustandi, sensus ex corde aperte pendunt; unus ex reliquis tribus, id est odorandi, medium tenet; duo, id est, audiendi & aspiciendi, maxime in capite positi sunt, propter sensoriorum naturam, & quæ sequuntur. Cor enim esse principium sensuum, non sensorium, probavit; quia gustatus & tactus ex illo aperte pendunt, etsi proprium aliud sensorium habeant. Dum autem auditum & aspectum positos esse addidit in capite propter sensoriorum naturam; exposuit etiam quod dixerat, sensorium gustatus & tactus esse proprie cor; nimirum propter suam naturam, quæ à corde magnopere pendet.

Deinde cum aspectum dixisset esse aquæ audi-

**A** tum aëris, odoratum ignis, tres hosce sensus proprie cerebri esse subiunxit: non quod cerebrum sit eorum organum, sed quod oculus ex cerebro conformatus sit, calidique materia sit frigidum. Tactum verò & gustatum subjiciens esse terræ eos ad cor potius pertinere affirmavit: tum quod terræ frigus magno illo calore cordis indigebat: tum quod ipsa cordis substantia solida est, dura, benè compacta, & velut terrea; multoque horum duorum sensuum organo similior, quam cerebri. Accedit; quod multo pluribus nervis opus habet tactus, & verò gustatus, quam sensus ceteri: nervorumque principium & fontem voluit esse cor. Præterea quoniam hi duo sensus ad alimentum & vitam tuendam ac conservandam spectant; vitæque & alimentum principium est cor. Postremò quia nullus priorum sensuum operatur in corde, sed omnes in capite. In corde autem solus viget tactus; ut dolores testantur, qui in ea parte sentiuntur interdum acutissimi: gustatus, etsi in corde non operetur, tactus tamen quidam est. Atque hæc sunt causæ, propter quas ad cor potius, quam ad cerebrum, pertinere hi duo sensus dicti sunt. Et hæc quidem hæcenus.

**C** Alio enim vocat nos Auerroës; qui in Comment. 108. 116. illud, quod Aristoteles pronuntiauit esse intus velut tangendi organum, interpretatus est nervos; qui sunt sub carne. Quòd si in libro de animalibus dixit esse carnem; propterea dixit, inquit Auerroës, quia nondum ex corporum dissectione in cognitionem nervorum venerat.

At quàm sæpè & quàm multa de nervis in libris illis de animalibus, qui hosce de anima scriptos antecédunt, idem Philosophus loquitur; quomodo sine diligenti dissectione libros illos conscribere potuisset; aut quomodo dissecare, quum per totum corpus nervos sub carne sparsos intueretur? Verum nec ipse Auerroës sibi satis consistat. Nam in Comment. 117. carnem aut nervum interpretatur; & in secundo de partibus animalium libro, capite primo, & in Paraphrasi libro de sensu & sensibili capite secundo, & in secundo libro Colliget, capite octavo & decimo tertio, carnem omnino prædicat primum esse & proprium tangendi organum, nervumque carni famulari. Neque susceptum illud nervorum patrocinium Philosopho consentaneum esse videtur. Quippe non solum in locis antea indicatis, quibus hanc de organo tactus questionem attigit, nunquam nervos nominavit: sed etiam tactum voluit in tex. 124. huius libri, & textu 66. libri tertij, in quadam temperie tactiliumque omnium qualitarum mediocritate versari, ut percipere omnes possit. Hanc enim ob causam plantas docuit non sentire, quod nimis terrea sint; neque ossa, pilos, aliaque huiusmodi, quæ terrea planè sunt. At nervos terrea temperationes esse, frigidos & secos, Philosophi omnes consentiunt & medici: & aperta fuit Aristotelis sententia in textu 79. libri primi; Quæcumque in animalium corporibus insunt simpliciter terræ, ut ossa, nervi, pili, nihil sentire videntur. Quamquam non nervos nec pilos, sed ossa sola, legit Auerroës. Illius verò sententiam confirmabunt medici; quorum illa est permulgata doctrina, vim omnem sentiendi esse in cerebro; neque sentire quidquam in universo corpore, nisi per nervos à cerebro transmissos.

RRR

*Tertio opinio.*

*Confutatio.*

Quod plurimis in locis Galenus tradidit, in opere præsertim de usu partium. Vt in cap. 18. lib. 1. non dubitauerit scribere, nullam in toto corpore carnem ex se ipsa sensum habere; & idèd per eam ubique spargi neruos, vt vbique sentiamus.

Denique non desuerunt in tam obscuro loco, qui apertis verbis Aristotelem dicerent haud satis organum tactus exploratum habuisse; & idèd cum videretur illi verisimile non esse illud, quod primum ab obiectis attingitur; affirmasse non esse carnem, sed interius quidpiam, neque quid hoc esset, dicere potuisse.

Ego verò non ita credo: præsertim cum tam multis alijs in locis tam apertis verbis hac de re dissererit. Sed verè affirmari posse existimo, eum in re dubia ancipitique questione voluisse difficultatem significare, & vt dixit Philoponus, ad inuestigandam veritatem nos exercere. Neque quidquam omninò hoc loco constituisse; sed cum alibi sæpius veritatem explicasset, voluisse solum rei difficultatem indicare. Sic enim de vnitare quoque tactus diuersa proposuit argumenta; & rursum an externo corpore intercepto fiat tactus. Et in priori quidem non satis apertè respondit: Posteriori autem, vt ait Themistius, omnino neglexit. Neque argumentationibus illis interpretes Græci acquiescerunt; sed contra potius rem sese habere ostenderunt. Quod in tertia hac quoque questione fecerunt. Nam estis argumentatus sit carnem nullo modo sentire; sed id, quod est intus: Alexander tamen, Philoponus, & Simplicius, eam quoque sentire voluerunt; esseque si non primum, cerè secundarium tangendi organum: idque ex Aristotelis sententia. Ergo quid Aristoteles hac de re senserit, ex alijs locis colligendum est, in quibus non disputando, sed asserendo loquutus est.

Carnem sentire & esse verum tangendi organum, non semel, sed pluribus in locis aperta oratione affirmavit. Quod si innominatum esse interdum dixit, propterea dixit, quia non in omnibus est caro, sed in permultis carni quidpiam proportionè respondens, vt superius quoque in textu 107. loquutus est. Etenim carnem maxime obseruauit sparsam esse per totum corpus, quemadmodum est tactus. Exteriorisque sensus organum intellexit exterius esse debere: præsertim illius sensus, qui tangendo, hoc est coniunctis extremitatibus eius, quod tangit, & eius, quod tangitur, operatur. Vidit etiam vbicumque vel leuissimè pungitur caro, animalia queque sentire: neque aliud pungi, quam carnem. Qua sanè experientia conuincuntur Aueroës & Medici. Nam etsi per totum corpus dispersi sint nerui, in quolibet tamen carnis puncto non sunt. Voluit etiam Philosophus tactum in mediocritate tactilium qualitarum consistere, vt paulò ante ostensum est: carnemque potissimum eiusmodi partem esse temperatam & ad excessum quemlibet cognoscendam aptam. Et nonne in textu 94. ex carnis velut proprii organi molitudine maxime vigere tactum in homine demonstrauit? Et rursum in extremo capite 16. libri secundi, de animalium partibus, homini tradidit omnium mollissimam datam fuisse carnem, quòd omnium maxime sensu tactus valeat.

Propterea tactum inesse neruo & cuti præsertim capitis interdum negavit, quòd natura sicciore hæ partes sint, & ideo per se spectata ad

A sentiendum inepta. At ille ipsa cum carne conuicta & copulata, vt humectantur meliorique modo temperantur, ita sentientes euadunt. Nam & neruus etiam carne permixtus atque illius humore firmiterque calore temperatus, si per se & seorsum paratur aut diuidatur, diuisione acriores impetatur; sentit nimirum & magnopere dolet; atque in eo spasium; vehementissimum scilicet dolorem, verè agnoscunt medici. Et cum neruum constat ceterorum sensuum organum esse, & verò etiam motus; multò magis credi debet organum esse tactus, sine quo nullas aliorum sensuum, neque motus. Etsi cum primum ex cerebro egreditur, aut non sentit, aut obruta imperfectè: quòd similis nimirum est cerebro, quod aut nullum; aut vix vllum creditur habere sensum: immoderatè enim frigidum est & humidum, tactusque intemperie constituit.

Curam verò sentire quilibet aperitur: & eo magis, quòd mollior fuerit & delicatior. Contra quibus dura est, hebes inest sensus; Habituque dispositionem satis temperatam & ad sentiendum aptam. Immo in homine temperatissimam & apertissimam. Atque hæc corporis pars maxime indiguit sensu, quòd in eam primum incurrit noxia & repellenda. Accedit sensus ille, quæ ex diuisione continui; quæ suæ in cuti fiat, sicut in alia parte, ibi prorsus sentitur, neque ad interiores partes pertinet. Non solum enim cartilia quæuis sentimus; sed etiam ea ipsa parte sentimus, qua tangimus, & interdum iunima, interdum intima corporis parte. Quamquam caro molliudinem & humectationem habet à carne: alioqui sua natura rigidus est & mucosus sicut in extremo corpore ad omnia membra regenda obductus: carne scilicet siccescente, vni potestis crustula, quemadmodum est in secundo libro, de animalium ortu, capite quarto. Et quamquam se temperata sit satis; si tamen adhæreat cuti, licetior euadit & ad sentiendum ineptior. In humano autem capite sensum aliquem habet, quòd carnis quidpiam sub sit.

Interiores quoque partes sentium & dolent, quòd idoneum satis temperamentum habent; cor, iecur, lien, pulmones, intestina omnia. De venis, arterijs, panniculis, idem iudicium. Ossis & cartilagine propter intemperiem, siccatatemque nimiam non videntur sentire posse. Multo minus pili, vngues, dentes, cornua, humores, adeps, & quæcumque animata non sunt. Itaque fiet, non modò carnem, sed & partes omnes corporis molliores, magisque temperatas sensum tactus habere. Perfectissimus tamen omnium in carne viget neruosa plurimis & tenuissimis permixta neruis optimè temperatur; dum nimius carnis humor neruicque siccitas temperantur vicissim; atque ubi plurimi sunt nerui, plurimus item est per neruos transfusus spiritus.

Quòd si quis Aristotelem omnino velle hoc quoque in loco asserendo loquutum esse, carnem non esse sentiendi organum; ita postea illius verba exponere, vt cum alijs consentirent. Carnem enim fortasse non propriè nunc nominauit, sed eam intelliigi voluit. Quòd ex tribus licet colligere. Primum, quòd in tertio de animalium histon. libro, eandem dixerat omni sensu carere. Deinde quòd

Quæstio  
opinio.  
Theo.  
philos.  
Timon.

Aueroës  
opinio.

Caro  
gædi or-  
ganum.

Neruum  
& cutis.

hæc sit prima & extrema corporis pars, quæ à tactibus omnibus primùm attingitur: eaque potissimum utroque hoc nomine inter omnes corporis partes vim mediæ habere videbatur: tamen cum carne coniuncta ipsa quoque simul cum ea sensum accipiat. Postremò, quòd ea maximè similis videbatur illi pelliculæ de qua in textu 109. & 114. loquutus fuerat; dixeratque, non organum, sed mediũ esse.

Id autem, quod est intus, velut præcipuum & perse organum, caro erit & nervus cum carne permixtus & ab ea temperatus. Hoc modo & Philosophi hæc sententia cum experientia & ijs, quæ alibi ab eo tradita sunt, constabit: & sensus tactus, qui omnium primus est & velut aliorum fundamentum, quique ut est is, per quem primò animal constituitur & est animal; ita cum illius obiectum ea contineat, ex quibus constant animalium corpora, ad illorũ vitam tuèdam maximè necessarius est; per uniuersum corpus diffusus fuerit, hoc est per omnes Homogeneas partes, quæ sentientem animam habent, mollioreque sunt & temperiores.

Quòd si non cutem, sed carnem proprie nominatam tanquam mediũ intelligamus: eam respondebimus alijs quidem in locis appellatam fuisse tangendi organum, quia re ipsa sentit, dum tangitur: sed nunc primũ ac præcipuum organum in interiori parte fuisse positum, hoc est in nervo, qui est sub carne. Eamque comparatione huius organi esse velut mediũ tamen non sensu priuatum, ut in cæteris sensibus aer & aqua; sed animatum & simul cum primo organo sentiens. Quòd si in textu 79. lib. 1. nervum dixit non sentire, eum per se considerauit & secundum suam temperationem frigidam, siccam, & terream, atque à carne separatam. Cum carne autem permixtus & temperatus optimè sentit: immò præcipuum sentienti organum credi potest; velut id, quòd à corde & cerebro transmissum est, quorum alterum sensus omnis principium est, alterum administrator.

Carnem autem non absolute dictam fuisse non sentire, sed primi duntaxat organi comparatione factam fuisse mediũ; & interpretatur Simplicius, & ipsius Philosophi verba aperte testantur: tum in cap. 11. libri secundi de partibus animalium, quæ cum hoc loco sententiam eandem continent, de quo primo sensorio loquuntur: tum quia tum in textu 107. quæstionem hanc proposuisset de primo solo sensorio, in hoc textu 116. carnem scribit obiecta sibi admota sentire & in extremo textu 117. ita concludit, sensorium autem, in quo tactus inest primò, est huiusmodi pars. Eodem modo interpretor dictum fuisse, cutim non sentire; hoc est non esse primũ ac primarium huius sensus organum, ut nec est caro.

Quocirca totam hanc disputationem concludentes planè possumus affirmare, tangendi organum esse molliorem quamcumque & magis temperatam partem Homogeneam, quæ sentiente anima prædita sit; singularique esse velut organi partem. Sic enim Philoponus in comment. ad text. 61. & ad text. 15. libri primi, sensum hunc dixit per

totum corpus sparsum esse. Et Aristoteles propterea fortasse scripsit eius organum esse innominatum; quia plures partes complectitur, quibus unum nomen non est: sed aut est caro, aut analogum quidpiam, hoc est nervus, cutis, aut aliquid simile. Sensum enim ad vitam conseruandam prorsus necessarium per uniuersum corpus extendi oportuit.

Ad argumentationem autem illam, qua carnem probauit Philosophus esse mediũ, non organum; quia sensibile positum supra sensum non sentitur; ut nervum aut aliam quamcumque interiorem partem immediatè tactam sentire prætermittam: tria soleo respondere. Primum, si is asserendo argumentatus sit, eum loquutum esse de sensatione, quæ naturaliter & sine læsione ac molestia fieri debet. Ea enim fit per mediũ, sed quòd simul cum organo sentiat. Hocque aut est caro comparatione nervi, aut cutis comparatione carnis & nervi. Nam nervus naturaliter non sentit, nisi per carnem; nec caro, nisi per cutem. Quare caro aut cutis dicuntur mediæ; non quòd ipse non sentiant, sed quòd per eas nervus & interiores partes sentiant. Alioqui & nervus & cor & quæcumque alia pars immediatè tacta nimirum sentiet. Causa autem est, quoniam loco medi in tactu est soliditas & corpulentia organi; quæ non facillè mouetur nec tanto pere patitur ab obiecto, ut nisi ad sit mediũ, dissoluatur sensus, aut iudicium eius turbetur.

Alterum, si non asserendo, sed disputando ita ratiocinari voluit; inter obiectum & cutem carnemve adesse respondebo inanimatam cuticulam, eamque esse mediũ, per quòd & cutis & caro & nervus sentiant. Eaque detracta fieri quidem sensum; sed cum molestia. Et certe argumentum illud haud magnam vim habet. Siue namque adsit naturalis hæc pellicula, siue exterior quæpiam apponatur; petinde sentit cutis, aut caro. Neque est obiectum immediatè positum supra sensum, sed mediũ corpus intercedit. Non ergò inde licet colligere, carnem aut cutim esse mediũ, non organum.

Tertium, propositionem illam de primo obiecto sensibili intelligendam esse, atque in cæteris sensibus, non item in tactu, locum habere. Nam si in cæteris sensibus opus est medio, id non oritur ex generali sensus natura, sed ex propria & speciali illorum conditione, ut in digestionem ad text. 77. dictum est, neque ea in tactu & gustatu locum habet. Propterea scitè Philoponus tripartitò sensus diuisit. Aspectus & auditus obiecta maximè dista sentit; gustatus & tactus prorsus coniuncta: odoratus mediocri intervallo distantia.

Ex quibus omnibus tactum intelligas maximè omnium sensuum materiale & corporeum esse. Nam & primus ex materia & corpore educitur, & per totum corpus protenditur, & materiali maximè & corpulento vitur organo, & circa obiectum maxime materiale occupatur; quòd propterea statim dicitur corporis, quia corpus est, differentias continere; ac materiali demum maximè modo operatur, dum non nisi tangendo sentit ea, quæ immediatè ipsi coniunguntur.

*Per sensibile positum supra sensum non sentitur*

*Tactus maximè materialis est*

TEXTVS.

Ἄπλᾶ ἰδὴ οὐδ' εἶσι αἱ διαφοραὶ τῶ σωματικῶν σώματι. ἄλλῃ δὲ διαφοραὶ, αἱ τῶ σωματικῶν διαφορῶν, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου, ἡρώδου.

Text. 117 *Tactilia igitur sunt differentie corporis, quatenus corpus. Dico autem differentias, quae elementa definiunt, calidum, frigidum, humidum, siccum de quibus diximus prius in 10, quae de elementis.*

COMMENTARIVS CLXIV.

**M**agna in huius contextus explicatione inter interpretes videtur esse discordia. Omnes tamen iudico eodem spectare, & Aristotelis consilium quo quomodo intellexisse: Sed aut non perfecte assequutus fuisse, aut certe non satis exposuisse. Dum enim Philoponus ait, post dubitationes haecenus de tactu propositas eum ad id, quod agendum erat, redire; atque exponere, quodnam sit obiectum tactile, quaeque illius species. Et S. Thomas, agi de organo, ostendique quale sit tactus organum: sententiam Philosophi partiti sunt; nec integram, sed alteram illius partem acceperunt. Themistius, tum de ipso tactu, tum de organo dici voluit. Sed cum tactum scripsit, ostendit esse omnium maxime corpulentum, quod circa qualitates eas versetur, quae corporis, quatenus corpus est, differentiae sunt priorum partem minus accommodatè absoluit. Nam neque hoc agitur, sed satis in textu III, explicatum est. Neque id ratio illa concluderet. Nam reliquae item sensibiles qualitates, colores, soni, odores, & saporis, differentiae sunt corporis, quatenus corpus est; non quatenus animatum & viuum (sic enim Themistius ipse loquitur) nec aliud interest, nisi quod tactiles sunt omnium primae, nec multis solum, sed simplicibus quoque corporibus communes: reliquae posteriores & mistorum magis propriae.

Melius ergo Simplicius, tum de obiecto, tum de organo sermonem esse iudicauit. At de obiecto tradi, vnum esse tactilium omnium genus, quod antea querebatur; prorsus non probo. Quoniam neque haec Philosophi verba significant: neque verum est, vnum illud genus esse id, quod est corporis determinatiuum; vt superius demonstrauit. quare hoc loco arbitror ego ex tota haecenus habita disputatione duo concludi; alterum de obiecto; alterum de organo. De obiecto concluditur, vt vox illa (igitur) satis indicat: Tactilia, quae huius sensus obiecta sunt, eas esse qualitates, quae corporis, vt corpus est, differentiae exsistunt: hoc est calidum & frigidum, humidum & siccum. Quae appellant differentiae, quod elementa, quorum sunt propriae & per se qualitates, ratione quorum mistis quoque corporibus insunt, tum constituunt & determinant, tum distinguunt & separant. Vtrumque enim differentiarum munus est, & vtrumque Graeca vox (δifferences) significat. Non appellatur autem differentiae essentialis, quasi ea sint substantialia elementorum formae vt Philoponus visus est opinari: sed accidentariae & propriae. De sensibilibus enim duntaxat est sermo, Elementorum quoque principia dicuntur esse in

7. quales primae sunt differentiae & principia elementorum.

**A** posteriori de ortu & interitu libro, quid de elementis hoc loco vocatur, quod in eo de his corporibus dixeratur. Nec tamen substantialia, sed accidentaria principia esse dicuntur, quatenus ex diuinarum complexu singula elementa gignuntur. Itaque duntaxat primis verbis appellata sunt differentiae corporum, vt corpus est, minus bene interpretatus videtur esse Themistius, hoc est non quatenus animatum est viuum. Quoniam ipsemet Philosophus statim libi iungens (dico autem differentias, quae elementa determinant) alio prorsus modo exposuit. Corporis quatenus corpus est; hoc est non quatenus mistum, sed quatenus simplex corpus duntaxat generabile tamen & corruptibile; liquidem quatenus sunt inter se pugnantibus & contrariis. Naturae mixtum has quidem qualitates habet, sed ab elementis: Singulaeque magis aut minus immixtae, quemadmodum elementum aliquid magis tenuius abundat. Quatenus autem mistum est, qualitibus alijs affectum est, alijsque sensibilibus; coloribus, odoribus, saporibus; quae ex elementorum permissione nascuntur.

**B** Porro complures aliae qualitates tactiles sunt, durum & molle, asperum & lene, densum & rareum, graue & leue, & id genus aliae. Sed solas illas quatuor nominauit, quae omnium primae sunt, & eas quas caeterae reuocantur. Quod vt significaret, posteriorum illum de ortu & interitu librum commemorauit, in quo ad illas reuocari caeteras demonstrauit. Sed de graui & leui alteram quamdam rationem habet Philoponus, quae nullo modo probanda est. Idcirco enim haec ait praetermissis istis, quod in proprio loco elementa neque grauius, neque leuius, sed eiusmodi sunt, cum extra suum locum posita atque a toto separata ad illud decedunt aut sursum mouentur. Meminisse autem poterit naturam, tum motus, tum quietis, principium esse & grauitatem leuitatemque intelligere, quae naturae instrumenta sunt, duplicem habere actum secundum: alterum, quo mouentur ad locum: alterum, quo in eo quiescunt seseque naturali propensione detinent atque expellentis resistunt naturalis corpora. Neque vilius forma natura in sola operatione consistit: neque corpus calidum dicitur aut frigidum, eo duntaxat tempore, quo actu calefacit aut refrigerat; sed etiam si nihil eiusmodi operetur: nec grauitas aut leuitas solum motum deorsum aut sursum significant; sed qualitates velut potestates & facultates, quae illorum motuum, si opus sit, principia existant; in minus, quietis in eo loco, in quo corpora optime conseruari & esse possunt.

DIGRESSIO LVIII.

De Vnitae Tactus.

**F**ortasse ex eo, quod duas contrarietates primas recensuit Philosophus, colligat quipiam, tactum non esse vnum sensum, sed plures: quatenus vnus sensus vnus contrarietatis & vna facultas vnus obiecti esse antea dicebatur. Aspectus albi & nigri, auditus acuti & grauis, odoratus iocundus & molestus, gustatus dulcis & amarus. Etiam enim plures alias qualitates cognoscant, ea tamen ad illis vni primae contrarietate reuocatur. At tactus plures habet a quibus primae